

Praefatio de s. Venceslao

Participatio celebrationis sacrificii

Sequens praefatio dicitur in Missis de s. Venceslao.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens aetérne Deus:

Tu enim sancto Vencés-lao,
qui una cum pane et vino ad altáre latis
semetipsum tibi offerébat,
sacrificio Christi, Fílii tui,
usque ad martýrium se cóniungi tribuísti,
immarcescíbilem percípiens corónam gló-
riae.

Propter quod caeléstia tibi atque terréstria
cánticum novum cóncinunt adorándo,
et nos cum omni exércitu Angelórum
proclamámus, sine fine dicétes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus...